



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio I. Difficultas ex mutabilitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

## DISPUTATIO I.

S. Thomas quest. i. art. i.

## Vtrum ex parte Dei repugnet ipsum fieri hominem?

SECTIO I. Difficultas ex mutabilitate.

SVBSECTIO I. Responsa grauisimorum Doctorum.

SVBSECTIO II. Responsiones aliorum.

SVBSECTIO III. Queda de motu, subiecto &amp; termino.

SVBSECTIO IV. Respondetur argumento.

SECTIO II. Difficultas de perfectione adueniente Verbo per vnionem intrinsecam.

§. 1. **R**epugnancia Incarnationis potest considerari & ex parte Dei, & ex parte humanitatis. Hæc disputatio non est de humanitate, quia inferius latè disputabo, quæ natura creata possit, aut non possit assumi: nunc considero difficultates quibus ex parte Dei hoc mysterium sit captu difficillimum.

## SECTIO I.

## Difficultas ex mutabilitate.

§. 2. **D**eum non posse vniri hypostaticè humanitati probari videtur ex immutabilitate. Quod argumentum tam malè torquet robustiora ingenia, vt penè frangantur. Ego quæstionem dirimendam curabo ex physicis principiis; standum est enim definitioni Aristotelicæ *Motus*. Nec enim ea definitio est deserenda; sed monstrandum apertè cum illa componi Dei immutabilitatem, quantumvis ei humanitas vnatur intrinsecè: ne Philosophi conturbatis suis definitionibus abhorreant ab hoc mysterio.

§. 3. Est igitur argumentum: Deus, si vniretur humanitati, mutaretur: ergo non potest vniri. Probat antecedens. Primum, quia Deus se haberet intrinsecè aliter ac antea: ergo mutaretur. De consequentia constat, quia aliter se habere intrinsecè, & mutari, idem sunt. Antecedens probabo, quia antea non esset intrinsecè vnitus; postea esset vnitus intrinsecè, ergo aliter se haberet intrinsecè. Secundò, prob. idemmet antecedens: quia tunc mutatur aliquid quando intrinsecè fit aliquid, quod antea non erat intrinsecè: vt paries intrinsecè mutatur quando fit albus, quia cum non fuisset albus intrinsecè; postea factus est intrinsecè albus: sed Deus non est intrinsecè homo; vnione autem esset factus homo intrinsecè: ergo intrinsecè esset factus, quod intrinsecè non erat. hinc effluxit adagium: *Omne vniuersale est mutabile.*

## SVBSECTIO I.

## Responsa grauisimorum Doctorum.

§. 4. **M**ulti grauesque Doctores conantur fugere hanc difficultatem, constituentem vnionem in sola humanitate intrinsecè; in Deo autem extrinsecè: quia Deum esse vnium humanitati est relatio, quæ aduenit sine mutatione termini. Petrus enim existens albus non est similis Antonio nigro: Antonio autem albescente Petrus est illi similis. quæ mutatio facta est in solo Antonio, in Petro autem nullo modo. Confirmant Primum exemplo obiecti sciti, quod de non cognito dicitur cognitum per solam mutationem po-

tentia cognoscentis. Secundò, exemplo creatoris, qui de non creante fit creans sine mutatione in ipso. Terriò, exemplo dextri, atque sinistri. Ab hac sententia sunt apertè S. Thom. in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. ad 1. & 3. p. q. 16. art. 1. ad 4. & art. 6. ad 2. S. Bonavent. in 3. dist. 1. a. 1. q. 1. ad 3. & Thomisticis complures. Consentunt Faber in 3. disp. 1. n. 24. constituens Deum esse terminum vnionis, vt scibile est cognitionis terminus. P. Vazquez disp. 64 n. 18. & 19. consentit in parte, in parte dissentit: non enim admittit vnionem esse relationem; fatetur tamen Verbum esse illius terminum extrinsecum. P. Albertinus tom. 2. in 1. corollar. prædicamenti substantiæ n. 5. & P. Iosephus Ragusa in art. 1. hanc vnionem appellant Relationem rationis.

§. 5. Operæ pretium duxi hæc apertè monstrare quãto iure dixerim disp. 15. Metaphys. sect. 3. Thomistas cum S. Thoma apertè matre sæpè pugnare, quamvis totis lateribus in clamet se nec latum vnguè discedere ab Angelico Doctore S. Thoma. Illi distinguunt relatione à fundamento & termino, vt modum à re cuius est modus, quo dicunt mutari extremum vtrumque: at S. Thom. hæc probat non mutari Deum vnione, quia hæc illi aduenit vt relatio termino, qui relatione nullo pacto mutatur. quod exemplum esset omnino ineptum si relatione distincta ab vtroque extremo mutaretur vtrumque. Video responderi posse, S. Thomam egisse in priori loco de relatiuis non mutuis, in quibus non mutatur terminus, vt patet exemplo scibilis quod non mutatur relatione scientiæ. quod confirmari potest ex hac 3. p. q. 35. a. 5. vbi non admittit in Verbo realem relationem ad matrem. Verumtamen in secundo loco 3. p. q. 16. a. 1. ad 4. absolute dicit Verbum vnium dicere relationem vnionis. Melius autem rem explicuit locis à me expensis disput. 15. Metaph. à §. 8. ad 22. Vide inferius disp. 100. sect. 2.

§. 6. Sententia autem proposita §. 4. vt voces præ se ferunt, mihi non placet: constituit enim vnionem esse denominatione extrinsecam Verbo. quod esse falsum, & inde sequi Christum fore ens per accidens, ostendat disp. 22. sect. 4. Hinc omnia exempla adducta sunt ab similia: cognosci enim & creare sunt extrinsecæ denominationes cognito atque creati, cum illis non facientes vniam per se, sed per accidens: paries enim & vitus non habent vnionem; sed potiùs carentiam vnionis: nec faciunt

ciunt vnum, nisi per aggregationem. Creatio item nec est vnita Deo, nec cum illo constituit vnum per se: vnio autē hypostatica attingit intrinsecē Deum, cum illo & humanitate constituens vnum per se, & non per accidēs. Quid igitur mirum Deum non mutari per extrinsecas denominationes; ab his autem ad intrinsecas? Quod attinet ad immutationē extremorum est maxima disparatio, quia omnis motus est mobili intrinsecus: ob quod vnio hypostatica magis accedit ad mouenda extrema, quia illis est intrinseca: ergo à denominationibus extrinsecis ad vnionem nulla est consequentia. Idē dixerim de tertio exemplo dextri atque sinistri, quæ sunt extrinsecæ denominationes. Me sollicitat auctoritas S. Bonau. & Thomæ his ventium exemplis. Censeo illos nomine *termini extrinseci*, significare Verbum non esse subiectum vnionis, sed purum terminum: hanc autem rationem puri termini ab illis significatam illis vocibus & exemplis, vt opponuntur intrinsecæ denominationi motus.

§. 7. Secundò impugnatur ea sententia, quia vnio hypostatica non est de prædicamentō relationis; sed de prædicamento substantiæ, non secus ac vnio materiæ & formæ: quia relatio prædicamentalis in ea sententia est denominatio extrinseca à duobus extremis conuenientibus in aliquam rationem, aut dissidentibus vt similitudo & dissimilitudo, relatio causæ, & effectus: quæ denominatio resultat ex vtroque: in aliorum autem opinione prædicamentalis relatio est accidens modale distinctum à fundamentō & termino, & ex vtroque resultat, vt similitudo ex vtroque albo, relatio causæ ex actione. At vnio hypostatica non est denominatio extrinseca, quia non constitueret vnum per se; nec est accidens; nec item reperiuntur fundamentū & terminus ex quibus resultat, quia existentibus humanitate & Verbo potest non esse illa relatio: relatio autem vniti oritur ab vnione tamquam à ratione fundandi, sicut relatio effectus ab actione. Est autem vnio relatio transcendentialis quæ mutat extrema, quæ afficit intrinsecē; sicut corpus & anima mutantur reciproca vnione.

§. 8. Dicent, Verbum non esse subiectum vnionis: sed purum terminum, qui non mutatur terminando: nihil enim mutatur, nisi recipiendo. Respondeo, hæc esse vera: at opus est probare eam doctrinam. Cur enim non mutatur terminus intrinsecus, aut quo differt à subiecto?

SUBIECTIO II.

*Responsiones aliorum.*

§. 9. Caietanus 3. p. q. 16. art. 6. ad 2. fatetur vnionem hypostaticam non esse relationem, siue Deum fieri hominem non esse relationem. asserit item Verbum non mutari vnione, vt materia mutatur, quia Verbum tantum habet vt incipiat personare humanitatem: sed incipere esse de nouo in esse substantiali humanitatis.

§. 10. Hæc sunt verba sine nucleo: fatemur enim Deum non posse mutari. inde autem oritur controuersia, vtrum cum ea immutabilitate componi possit personatio, & incipere de nouo esse in alia natura. id enim fit per vnionem intrinsecam, quæ difficilē apprehenditur nisi vt mutans extremum vtrumque: incipere ergo esse in humanitate

per vnionem intrinsecam quin mutetur Verbum, continet eandem difficultatem quam vnio intrinseca non mutans extremum vtrumque. Est igitur reddenda vtriusque ratio, nec fugienda solis verbis.

§. 11. P. Valentia tom. 4. disput. 1. q. 1. punct. 2. versu *igitur ad argumentum*, & versu *quod si quis*, asserit duo. Primum, Verbum non mutari, quia accipit humanitatem non omnino de nouo, quia eam habebat prius eminenter: mutari autem est rem accipere omnino de nouo eam antea non habendo eminenter. Secundò, asserit posse hinc esse quæstionem de nomine: si enim velis per mutationem significare habere formaliter de nouo rem, quam antea formaliter non habebas, possit dici Deum mutari, quia cum antea non esset formaliter homo postea est: at verò, per mutationem significat alij habere formaliter de nouo rem quam antea nec formaliter nec eminenter habebas. Quia verò hæc significatio magis arridet P. Valentia, ideo dicit Deum non posse mutari. Contrà: Displicet mihi in primis asseri hinc posse quæstionem esse de nomine, quia apud omnes Philosophos ac Theologos nihil mutatur nisi vt subiectum: subiectum autem est potentia passiva: hæc autem nec nomine tenus adscripta est Deo ab aliquo Philosopho. Decidamus ergo quæstionem de re. Fatentur omnes voluntatem mutari per actuum realem successionem: qui enim deposito odio amat, mutatus est physicè: quia omnis amor creatus de nouo succedit, ob quod mutat voluntatem. Lux in omnium sententia potest mutare solem: qui si obeunte Christo est tenebras passus, mutationem subiit, illuminatione redeunte: frigiditas mutat aquam, & ignem calor: cum tamen hæc omnia eminenter contineantur in suis causis, quia causa continet eminenter effectum, quando continet in se perfectionem effectus seclusis eiusdem effectus imperfectionibus specificis. Sic Deus continet eminenter omnes creaturas, quia continet illarum perfectiones sine imperfectionibus: ita lux continet eminenter calorem, quia quantum conuenit cum illo in genere qualitatis, non tamen in specie qualitatis corruptiua. hoc enim genus est causæ æquiuocæ, quæ frequenter dicitur continere eminenter effectum, quia de re aliqua dixi in explicatione vocum §. 4. quæ est ante primam disp. Logicæ. Vnde concludo, rem contineri eminenter in causâ, non obeffe mutationi ipsius causæ, quando effectum recipit formaliter, quem antea formaliter non habebat.

§. 12. Ratio à priori, quia tunc mutatur aliquid quando absolute accipit de nouo, quod antea absolute non habebat: sed Deus absolute nec erat homo, nec habebat humanitatem; quam postea absolute habet, & absolute fit homo: ergo Deus mutaretur. De Maiore constare videtur ex terminis ipsis, quia absolute incipit esse quod absolute non erat, iam habet absolute aliud prædicatum. Mutari dicuntur ea, quæ aliter se habent ac antea: aliter autem quomodo potest se habere nisi accipiendo de nouo absolute, quod absolute non habebat: alioquin diceremus res per creationem aut generationem non transmutari de non esse ad esse, quia quamuis formaliter non erant; erant tamen eminenter in Deo: & sicut Deus non mutatur, quia illas habebat eminenter, ita nec illæ transmutantur,

quia

quia habebantur à Deo eminenter: transmutarentur autem si omnino non præcessissent, nec formaliter, nec eminenter: cum autem præcessissent eminenter, non est cur transmutentur. Nec item materia mutaretur, quia motum non habet omnino de nouo; quia illum habuerat in potentia: & quamuis hæc potentia sit passiuæ, quid interest? contineri enim rem in potentia iam efficit ne omnino noua contingat. Est ergo per se notum rem tunc absolute mutari quando absolute incipit intrinsecè esse de nouo, quod antea absolute non erat. Nunc considerandum restat an id sit verum in his solis rebus quæ concurrunt in ratione subiecti, aut termini producti ad hanc vicissitudinem intrinsecam; an etiam id verum sit in his quæ concurrunt vt putè terminus intrinsecus.

§. 13. Nunc autem prob. Minor. propositionem positam §. superiori Deum non fuisse absolute hominem, nec humanitatem in illo fuisse absolute. Primum, quia Deus ostendit charitatem suam in nobis liberè volens se esse hominem: at eminenter fuit homo non liberè, sed necessariò: ergo Deus non fuerat absolute homo, Secundò, quia lux non est absolute calor, nec voluntas est absolute amor, nec intellectus est absolute error, nec Deus est absolute lapis; etsi lux, voluntas, intellectus & Deus contineant eminenter calorem, amorem, errorem & lapidem. Ratio à priori; quia in his rebus non est nisi potentia actiua, & in aliquibus etiam passiuæ ad suos effectus: potentia autem actiua & passiuæ non sunt absolute sui effectus; sed absolute sunt aliquid ab illis distinctum. quod enim non est formaliter calor, non est calor absolute, nec homo quod non est formaliter homo, nec peccatum quod non est formaliter peccatum.

§. 14. P. Suarez disp. 8. sect. 3. vers. *Respondeo hanc esse:* asserit Deum vnione hypostatica nec perfici, nec mutari, quia Verbum non ordinatur ad humanitatem vt subiectum ad formam, nec humanitas est forma Verbi: mutationem autem asserit in humanitate; quæ est subiectum vnionis. Consentit P. Albertinus tom. 2. in 1. corollario prædicamenti substantiæ num. 5. qui addit, angelum non mutatum iri, etsi vniretur humanitati, quia est sine appetitu & carentia vnionis: mutaretur autem si substantia esset separata, quia careret vnione. Item docet vnionem non recipi in Verbum.

§. 15. Contrà: Verbum non est magis forma humanitatis, quam humanitas forma Verbi; & tamen humanitas mutatur vnione ad Verbum, quia est subiectum vnionis: ergo Verbum poterit mutari vnione ad humanitatem, quamuis hæc non sit forma illius: vno enim erit forma Verbi. Idem contingit in continuo: duæ enim partes mutantur vnione reciproca; neutra tamen est forma alterius. Item, intellectus non ordinatur ex natura sua ad visionem beatam, nec anima ad gratiam, nec humanitas ad vnionem hypostaticam, nec aqua ad calorem: his tamen rebus & mutantur, & perficiuntur, quia illis conuenit definitio motus, nempe aliter se habere absolute, & intrinsecè, ac aliter se habebant.

§. 16. Sufficisset P. Albertino ponere vnionem extrinsecam Verbo: ea enim ratione esset mutatio Dei satis exclusiua: nihil enim mutatur formaliter per extrinsecam. At illi superesset respondendum, quo pacto in eius sententia mutentur vnione cor-

pus & anima, quam non censet intrinsecam vtrique. Quod autem dicit de angelo, non video fundamentum. Primum, quia angelus caret vnione ad humanitatem: nunc enim eam non habet, & tamen potest habere per potentiam absolutam: ergo si eam inciperet habere, mutaretur: ea enim actio esset in angelo tamquam in subiecto habens terminos à quo & ad quem: esset item actus in potentia prout in potentia. quæ sunt per se conspicua satis.

§. 17. Confirmatur, quamuis angelus caret appetitu naturali ad humanitatem; tamen mutaretur vnione, etsi sine humanitate sit satiatus eius appetitus naturalis, quia intellectus habens perfectissimam quam potest cognitionem naturalem, esset satiatus: & tamen si ei adderetur visio beata, illa mutaretur, quamuis ad eam non dicat appetitum naturalem, sed potentiã obedientialem passiuam. Item beatus videns in Deo Petrum esset satiatus, quia eum videt cognitione beatifica qua satiatur creatura; & tamen si Deus det beato cognitionem Petri, in proprio genere illum mutabit. Item mutaretur amore nouo: ergo quòd angelus sit satiatus, & sine appetitu naturali ad humanitatem, non obest quo minus mutetur. Ratio à priori est definitio motus, quia ea actio tunc esset actus entis in potentia prout in potentia cum terminis à quo, & ad quem. efficiens vt subiectum se haberet intrinsecè aliter ac antea. Discrimen de substantia separata est nullum: mutaretur enim quia haberet de nouo actum entis in potentia, quem etiam haberet si coniuncta suæ naturæ vniretur de nouo humanitati.

§. 18. Alij sibi satisfacere videntur difficultati propositi de mutatione Dei: quia Verbum non accipit perfectionem ab humanitate, sed illam dat vt autem mutetur, opus est vt perfectionem accipiat. Contrà: Hæc sunt verba rem non explicantia; quia si Deo repugnat accipere perfectionem ab aliquo, repugnabit etiam vniri intrinsecè alicui, quia vnio intrinseca & perfectio videntur esse idè. Item, nunc accipit hoc prædicatum homo, sicut humanitas accipit prædicatum subsistens, & quidem per vnionem intrinsecam vtrique. dicant cur altera mutetur, altero immoto.

§. 19. Fugiant alij negata distinctione reali inter vnionem & extremum vtrumque, quo censent non mutari Deum. Contrà: Ostendi disp. 5. Physic. vnionem ab vtroque extremo distingui, quod de vnione hypostatica ostendam disp. 2. sect. 1. Deinde consequentia est mala. Primum, quia negantes distinctionem vnionis ab extremis, fatentur extrema mutari, quod est clarum: habent enim motum in termino à quo & ad quem: siue motus sit distinctus à subiecto & termino, siue identificatus. Nominales enim quamuis negent distinctionem motus à subiecto ac termino, non propterea negant motum. Item, omnes fatentur mutationem contingere humanitati, cur ergo non contingit Verbo?

§. 20. Tandem alij constituunt duas vniones in hoc mysterio: alteram se tenentem ex parte Verbi quasi subiectiue, quæ nõ distinguitur ab ipso Verbo: quæ more aliorum liberorum est perfectio Verbi, quoad entitatem; non autem quoad denominationem. Altera vnio se tenet subiectiue ex parte humanitatis, illam perficiens vt subiectum. Hinc litem componunt: Verbum non mutatur sua vnione, sicut nec actu libero: vnione autem se tenente

nente ex parte humanitatis non potest mutari Verbum, quod non est subiectum eius unionis. Respondeo non esse necessariam illam unionem aeternam, quam P. Suar. disp. 8. sect. 3. vers. *Addunt aliqui*, censet improbabilem: restat enim difficultas in altera unionem qua ratione attingat intrinsecum Verbum quin illud immutet; eam enim esse Verbo intrinsecam probabo disp. 22.

SVBSECTIO III.

*Quaedam de motu, subiecto & termino.*

§. 21. **H**is de rebus egi disput. 5. Physicorum à sect. 3. acturus infra disp. 22. Nunc breuiter pono, motum nihil mutari nisi subiectum: est enim actus entis in potentia prout in potentia: id est potentia actiua & passiuæ: actiua quidem illo mouet; passiuæ autem mouetur; igitur omnis actus creatus est comparatione potentia. Sunt autem tres actus: logicus, qui est existentia; actiuus, quæ est actio; passiuus, qui est passio. quibus respondent tres potentia: logica scilicet, quæ est non repugnans ad existendum; actiua, quæ non perficitur agendo formaliter; passiuæ, quæ absolute mouetur & perficitur passione.

§. 22. Terminus est duplex, alter intrinsecus, extrinsecus alter. neuter est causa actionis: non extrinsecus, quia terminus extrinsecus pure terminat, solumque potest esse causa finalis: intrinsecus autem non concurrat in genere cause passiuæ: quia si terminus productus motu esset causa passiuæ ipsius motus, esset causa passiuæ sui ipsius. quia quæ ratione aliquid est causa actionis, eam est causa termini producti per illam: vt ostendi disput. 11. Physicorum.

SVBSECTIO IV.

*Respondetur argumento.*

§. 23. **E**quibus responderetur argumento ex §. 3. *Negato antecedenti*: Deus enim mutari non potest. Ad 1. probationem, nego antecedens absolute: quia aliter se habere absolute ac antea, est aliquid accipere de nouo vt subiectam rei acceptæ. Verbum autem non accipit humanitatem vt subiectum, vt probabo disp. 22. sect. 2. Terminare autem pure aliquid de nouo, non est mutari; quia mutari est recipere motum; terminate autem non est recipere, ob quod Verbum non se habet aliter absolute, sed secundum quid: quod nec secundum quid est moueri: hoc enim non conuenit nisi subiecto. Ad 2. probationem, distingo Maiorem. res mutatur quando fit intrinsecum quod antea non erat, si concurrat vt subiectum ad nouum prædicatum, concedo Maiorem; si concurrat solum vt pure terminus, nego Maiorem, quia nisi subiectum nihil mutatur. distingo item Minorem: Deus factus est de nouo quod non erat intrinsecum concurrens vt subiectum, nego Minorem; concurrere vt pure terminus, concedo Minorem, & nego consequentiam.

*Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.*

SECTIO II.

S. Thom.  
q. 1. art. 1.

*Difficultas de perfectione adueniente Verbo per unionem intrinsecam.*

§. 24. **S**ecunda difficultas oritur, quia Verbum perficeretur unionem: unio enim est maxima perfectio quam communicat omni extremo cui vnitur intrinsecum. quia perficere aliquid, & se illi communicare intrinsecum, idem sunt. Ea ratione paries perficitur albedine, intellectus cognitione, & amore voluntas. Ab hac difficultate se facile expedit auctores adducti §. 4. constituentes unionem extrinsecam Deo; nihil autem perficitur per extrinsecum. Premuntur autem ea difficultate, qui constituunt unionem intrinsecam Deo.

§. 25. Omnis perfectio est actus; qui triplex est, vt indicavi §. 21. logicus, actiuus, & passiuus. actus logicus est existentia, & quo magis sunt res existentes, sunt perfectiores, ob quod Deus est maximè perfectus, quia eius conceptus quidditatus est existere. Potentia logica non dicitur proprie perfici: sed res dicitur accipere perfectionem, quando de potentia logica transit in actum: nec disputo nunc de hac perfectione. Secundus actus est actiuus, id est, actus per quem potentia constituitur finaliter agens. hic actus oritur quidem à potentia perfecta: quia omne actiuum, vt actiuum, est perfectum, quia est in actu primo: at nec actio, nec illius terminus perficiunt potentiam actiuam, formaliter vt est actiua, quia agere formaliter non est intrinsecum agenti: quod si agens aliquando perficitur actione, non est quia agit, sed quia patitur. Tertius actus est passiuus, id est, quo potentia constituitur patiens. Potentia passiuæ, vt passiuæ, est imperfecta, vt dixit S. Thom. 1. p. q. 4. art. 1. & 2. & est clarum, quia habet priuationem ac carentiam actus, cum qua carentia subiectum est minus bonum, quam cum actu: si enim comparas actum & carentiam, comperies actum esse bonum, quia est ens; carentiam autem esse malam, quia est non ens. Hæc dico de perfectione physica & transcendentali: non autem de morali, ac conuenienti: homo enim melior est moraliter cum carentia peccati, quam cum illo, & demum melior est carentia cruciatuum, quam cruciatuum.

§. 26. Vnde concludo, nihil esse perfectibile nisi vt est subiectum passiuum perfectionis. perfectio igitur debet mutare subiectum quod perficit, quia omnis perfectio est actus potentia passiuæ: sed Deus non est subiectum passiuum, quia est incapax motus; capacitas enim ad motum esset imperfecta, quia dicit carentiam formæ melioris in subiecto, quam esset ipsa carentia. quod pono vt primum principium ex quo arguens probare conatus sum repugnantiam incarnationis: dato igitur hoc primo principio, probabo inde nihil probare contra Incarnationem.

§. 27. Ad argumentum ex §. 24. nego Deum in perfectum per unionem: quia eam non attingit vt subiectum, sed vt pure terminus. Reliqua nihil probant, quia, etsi unio sit perfectio, at non perficit nisi subiectum: accidentia ibi adducta non perficiunt nisi subiecta. qua de re fufius agendum disp. 22. sect. 4. nec pauca dixi disp. 5. Physic. sect. 6. & 7.

B

§. 28.

ciunt vnum, nisi per aggregationem. Creatio item nec est vnita Deo, nec cum illo constituit vnum per se: vnio autē hypostatica attingit intrinsecē Deum, cum illo & humanitate constituens vnum per se, & non per accidēs. Quid igitur mirum Deum non mutari per extrinsecas denominationes; ab his autem ad intrinsecas? Quod attinet ad immutationē extremorum est maxima disparatio, quia omnis motus est mobili intrinsecus: ob quod vnio hypostatica magis accedit ad mouenda extrema, quia illis est intrinseca: ergo à denominationibus extrinsecis ad vnionem nulla est consequentia. Idē dixerim de tertio exemplo dextri atque sinistri, quæ sunt extrinsecæ denominationes. Me sollicitat auctoritas S. Bonau. & Thomæ his ventium exemplis. Censeo illos nomine *termini extrinseci*, significare Verbum non esse subiectum vnionis, sed purum terminum: hanc autem rationem puri termini ab illis significatam illis vocibus & exemplis, vt opponuntur intrinsecæ denominationi motus.

§. 7. Secundò impugnatur ea sententia, quia vnio hypostatica non est de prædicamentō relationis; sed de prædicamento substantiæ, non secus ac vnio materiæ & formæ: quia relatio prædicamentalis in ea sententia est denominatio extrinseca à duobus extremis conuenientibus in aliquam rationem, aut dissidentibus vt similitudo & dissimilitudo, relatio causæ, & effectus: quæ denominatio resultat ex vtroque: in aliorum autem opinione prædicamentalis relatio est accidens modale distinctum à fundamentō & termino, & ex vtroque resultat, vt similitudo ex vtroque albo, relatio causæ ex actione. At vnio hypostatica non est denominatio extrinseca, quia non constitueret vnum per se; nec est accidens; nec item reperiuntur fundamentū & terminus ex quibus resultat, quia existentibus humanitate & Verbo potest non esse illa relatio: relatio autem vniti oritur ab vnione tamquam à ratione fundandi, sicut relatio effectus ab actione. Est autem vnio relatio transcendentialis quæ mutat extrema, quæ afficit intrinsecē; sicut corpus & anima mutantur reciproca vnione.

§. 8. Dicent, Verbum non esse subiectum vnionis: sed purum terminum, qui non mutatur terminando: nihil enim mutatur, nisi recipiendo. Respondeo, hæc esse vera: at opus est probare eam doctrinam. Cur enim non mutatur terminus intrinsecus, aut quo differt à subiecto?

SUBIECTIO II.

*Responsiones aliorum.*

§. 9. Caietanus 3. p. q. 16. art. 6. ad 2. fatetur vnionem hypostaticam non esse relationem, siue Deum fieri hominem non esse relationem. asserit item Verbum non mutari vnione, vt materia mutatur, quia Verbum tantum habet vt incipiat personare humanitatem: sed incipere esse de nouo in esse substantiali humanitatis.

§. 10. Hæc sunt verba sine nucleo: fatemur enim Deum non posse mutari. inde autem oritur controuersia, vtrum cum ea immutabilitate componi possit personatio, & incipere de nouo esse in alia natura. id enim fit per vnionem intrinsecam, quæ difficilè apprehenditur nisi vt mutans extremum vtrumque: incipere ergo esse in humanitate

per vnionem intrinsecam quin mutetur Verbum, continet eandem difficultatem quam vnio intrinseca non mutans extremum vtrumque. Est igitur reddenda vtriusque ratio, nec fugienda solis verbis.

§. 11. P. Valentia tom. 4. disput. 1. q. 1. punct. 2. versu Igitur ad argumentum, & versu Quod si quis, asserit duo. Primum, Verbum non mutari, quia accipit humanitatem non omnino de nouo, quia eam habebat prius eminenter: mutari autem est rem accipere omnino de nouo eam antea non habendo eminenter. Secundò, asserit posse hinc esse quæstionem de nomine: si enim velis per mutationem significare habere formaliter de nouo rem, quam antea formaliter non habebas, possit dici Deum mutari, quia cum antea non esset formaliter homo postea est: at verò, per mutationem significat alij habere formaliter de nouo rem quam antea nec formaliter nec eminenter habebas. Quia verò hæc significatio magis arridet P. Valentia, ideo dicit Deum non posse mutari. Contrà: Displicet mihi in primis asseri hinc posse quæstionem esse de nomine, quia apud omnes Philosophos ac Theologos nihil mutatur nisi vt subiectum: subiectum autem est potentia passiva: hæc autem nec nomine tenus adscripta est Deo ab aliquo Philosopho. Decidamus ergo quæstionem de re. Fatentur omnes voluntatem mutari per actuum realem successionem: qui enim deposito odio amat, mutatus est physicè: quia omnis amor creatus de nouo succedit, ob quod mutat voluntatem. Lux in omnium sententia potest mutare solem: qui si obeunte Christo est tenebras passus, mutationem subiit, illuminatione redeunte: frigiditas mutat aquam, & ignem calor: cum tamen hæc omnia eminenter contineantur in suis causis, quia causa continet eminenter effectum, quando continet in se perfectionem effectus seclusis eiusdem effectus imperfectionibus specificis. Sic Deus continet eminenter omnes creaturas, quia continet illarum perfectiones sine imperfectionibus: ita lux continet eminenter calorem, quia quantum conuenit cum illo in genere qualitatis, non tamen in specie qualitatis corruptiua. hoc enim genus est causæ æquiuocæ, quæ frequenter dicitur continere eminenter effectum. qua de re aliqua dixi in explicatione vocum §. 4. quæ est ante primam disp. Logicæ. Vnde concludo, rem contineri eminenter in causâ, non obeffe mutationi ipsius causæ, quando effectum recipit formaliter, quem antea formaliter non habebat.

§. 12. Ratio à priori, quia tunc mutatur aliquid quando absolute accipit de nouo, quod antea absolute non habebat: sed Deus absolute nec erat homo, nec habebat humanitatem; quam postea absolute habet, & absolute fit homo: ergo Deus mutaretur. De Maiore constare videtur ex terminis ipsis, quia absolute incipit esse quod absolute non erat, iam habet absolute aliud prædicatum. Mutari dicuntur ea, quæ aliter se habent ac antea: aliter autem quomodo potest se habere nisi accipiendo de nouo absolute, quod absolute non habebat: alioquin diceremus res per creationem aut generationem non transmutari de non esse ad esse, quia quamuis formaliter non erant; erant tamen eminenter in Deo: & sicut Deus non mutatur, quia illas habebat eminenter, ita nec illæ transmutantur,

quia